

**A2<sup>r</sup>**

---

AD CANDIDVM  
LECTOREM.  
CVM reipſa compererim,  
Candide Lector, librum  
Bucolicorum Virgilij in o=  
mnibus ſcholis proponi  
pueris, & interdum à non=  
nullis præceptoribus, præ=  
fertim indoctis, fatis ineptè reddi, pu=  
taui me aliquam gratiam initurum el=  
fe apud ſcholaſticam iuuentutem, ſi  
hunc libellum pro mea virili germani=  
ce redderem, id quod me fumma fide  
præſtitiffe confido. Cum autem ea res  
ſit noui exempli, non defuerunt Zoili,  
qui conſilium meum honeſtum & vtile  
vituperarunt, eo quod humilitas argu=  
menti Bucolici ſic in ſolutam oratio=  
nem conuerſa gratiam amittat. Græ=  
cas enim Muſas (vt ingenue fatear) que  
ore rotundo, vt ait Epigrammatarius,  
locutæ ſunt, parum feliciter coget quis  
præter morem latine loqui, multo mi=  
nus latinas coget imitari barbariem  
germanicam, præfertim in poëmate,  
& tali quidem genere argumenti, ſi vel  
eruditam humilitatem ſpectes, vel, vt

A 2      ita

## A2<sup>v</sup>

---

### AD LECTOREM.

ita dicam, humilis argumenti granditatem, de qua magno iudico Poëta tamen gloriatur in Ecloga quarta, & ea tamen intra suos fines confitit, ne Musæ siccilides paulo maiora canentes, à decoro aberrent, sed arbustis & humilibus myricis, hoc est, humilitati instituti argumenti Bucolici, si vel inventionem, vel elocutionem spectes, cum laude summa deferuant. Nobis, inquit ille, non licet esse tam disertis, qui Musas colimus seueriores. Credo equidem, quod illa Maronis auena tenuis suam quoquā inimitabilem eruditio[n]em, & artem habeat. Merebitur tamen laudem (vt optima quæquā mihi de te pollicear, candide Lector) conatus meus honestissimus, cum quicquid huius à me factum est, hoc consilio factum sit, vt puerorum studijs consulam. Nam æqui rerum talium æstimatores etiam hoc approbabunt, si, vt bene morati euadant pueri, studeam cum illis lude[re] par impar, equitare in harundine longa. Ad hæc subijcias tibi vulgare & verissimum dictum: μωμησεται τις μαλ= λου, η μιμησεται.

VALE.

**A3<sup>r</sup>**

OPTIMÆ  
SPEI PVERIS, IO=

HANNI, CHRISTOPHORO

& Valentino, clariſimi viri lohannis  
Stahls J. V. Doctoris. filii in Salin-  
nis Saxonicas, M. Stephanus  
Riccius ſenior,  
S. P. D.

QVANTA RES SIT,  
quamq; sancta, confilium  
amici, qui & rebus & ſtu-  
dijs noſtris conſultum fem=   
per uelit, uel Homericus  
uerſiculus comprobat, ατα=   
θη ωαραιφασις δςιμ εται=   
ρα, uel communis Græco=   
rum fententia, τερου η βαλη, neq; etiam temere.  
Nam uel hoc nomine ſuauifima fit amicitia, mutua  
utrinq; adhortatione condita atq; condulcata. Non  
enim inter media officia (ut illi uocant) fed inter  
prætantifima atq; ſumma collocandum mihi uide=   
tur, ſi amicus amicum amice admonet. Conſilio au=   
tem honeſto, & quod in rem noſtram conſulit, non  
paruiſſe, hominis eſt extremi ingenij (ut ille dixit)  
optimi autem recte monenti paruiſſe. Nam ita de=   
mum fit, ut maxima diſpendia uitemus, in quæ alio=   
qui incideremus neglecto conſilio, id quod uolue=   
runt etiam indicare Poëtæ prudentiſimi uiri fabula

A 3      illa

# A3<sup>v</sup>

---

## PRAEFATIO.

illa Promethei & Epimethei. Et quid detrimenti nobis redeat ex contempto confilio, docemur postea euentu stultorum magistro, quando uidemus nostra nos in discriumen coniectos esse temeritate, tum fru= ftra facti nos folet pœnitere. Quid enim attinet tum ωρομηθεα ειναι μετα τα ωραγματα . Pa= ruisse uero bono confilio & nobis dignum est, & ò re nostra.

Nota est fabella de hædo intra stabulum à ma= tre pastum itura concluso, quem lupus caprifans sollicitauit post discessum matris, ut fores, quas neu= tiquam aperiendas esse interminata fuerat mater, recluderet. Ita enim fore sperans, ut apertis ianuis hoëdum deuoraret. Ille autem materni edicti me= mor, malum euitauit. Prudentissime quidem et opti= me fabulam, quisquis tandem auctor fuerit, compo= suit. Ut enim in rebus humanis nihil est amicitia præstabilius, ita in amicitia, confilio bono reliquo omnia facilè cesserint.

Me uero uobis ex animo uelle, optimi pueri, uestrorumq; studiosissimum hactenus fuisse, & ad= huc esse, non puto uel ignorare uel dubitare uos, Quo fit, ut fretus conscientia officij mei, uestro item candore adhortationem uestri instituerim, nihil du= bitans, quin in optimam partem sitis accepturi. Cur enim repudiaretis confilium eius, quem amicissimum uobis esse creditis. Cogitare fortasse positis, me ue= stro candori diffidere, cum tam prolixam institue= rim præfationem. Sed non tam hoc spectaui, ut uos incitem

**A4<sup>r</sup>**

---

**PRAEFATIO.**

incitem consilio recte parere, cum sciam indolem  
uestram, quam ut testatum facerem uobis, me ex  
animo ista facere ornandi uestri causa, studiaque; ue=  
stra maximopere mihi cordi esse intelligeretis. Ad=  
hortatus enim sum uos, ut in discendis litteris, ut  
coepistis, sedulo pergatis & perficitis, quibus discen=br/>dis iam a clarissimo uiro, patre uestro destinati estis.  
Id autem, si commode facere uellem, texendum mihi  
esset εγκωμιου amplissimum litterarum, ut illarum  
bonitate ingenia excitarem uestra.

Cæterum de dignitate litterarum dicere, ut  
equum esset, hoc potissimum tempore, quando ho=neftæ res omnes & iacent & contemnuntur, diffi=cile ualde, mihi præfertim, fuerit. Demosthenis ali=cuius eloquentia opus esset in hac re, qui stultis A=theniensibus persuaderet, quantum Rebuspub. om=nibus referat litteras conferuari, atque litteratorum  
ingenia excitari & ali, quem fortassis etiam non  
audirent, citius audituri nugas alias, aut fabulam  
ωρι ονα σκιασ.

Vos uero mecum & cum illis omnibus, qui com=muni etiam sensu non carent, sentire certo scio, nem=pe, cordi uobis esse litteras, quas scitis esse diuinum  
donum, nisi fortassis hoc negare uelitis, cognitionem  
linguarum donum Spiritus diuini esse, & linguas,  
nisi necessariae fuissent ad cognitionem Euangelij,  
ad ædificationem Ecclesiæ, Apostolis. Deus opt.  
max. non dedisset, iam diuulgatus in orbem ma=gni illius consilij, ut Propheta uocat, prædicationē.

A 4 Deinde

# A4<sup>v</sup>

---

## PRAEFATIO.

Deinde litteris uel folis á multitudine imperita fe= iungimur, ne cum illa amusa cæcutiamus. Nam ut Græcus senarius habet, γραμματων ἀπειρ ou βλεπει βλεπων, ne etiam hallucinemur in re= bus omnibus tam sacrī quam prophanis iudicandis, ne ab aliorum tantum iudicio pendeamus, ut in con= ditionem aliquam diuinitus coniecti, cum laude & honore eam tueri posimus. Breuiter, ne simus & in Repub. administranda, & in rebus sacrī iudican= dis κωφα προσωπα, quæ in Comœdia uocari fo= lent, &, ut Horatius inquit, Corpora sine pectore, dum neq; ius bene dicere, neq; cauſas iudicare, lites componere, & omnia, quæ in Repub. uel prima fuit, præſtare non possumus. Quæ omnia inficitia & ex contemptu litterarum fieri, quis eft, qui ne= gare poſſit?

Nam si litteras pueri recte disceremus, leges nobis familiariter notas faceremus, ipsa quottidia= na poſtea exercitatio nos ſubinde acueret, ut ſic ra= tionem administrandæ Reipublicæ citius adsequere= mur tincti & dedolati ſtudio pertinaci, cum legiffe= mus de furore & fæuitia ſtultæ multitudinis, de mo= ribus improborum ciuium, quomodo ſæpè turbas maximas in Repub. concire ſoleant, quomodo bo= nis inuideant, malos extollant, odio rerum fuarum omnia mutari ſtudeant, cum egeftas facilè ſine dam= no habeatur. Breuiter nullum eſſe fretum tam con= citatum, nullum Euripum tot motus, tantas, tam uarias habere agitationes fluctuum, quantas per= turbatio=

# A5<sup>r</sup>

---

## PRAEFATIO.

turbationes, & quantos æstus habeat multitudo, si= cut & uocat eam Horatius belluam multorum ca= pitum. Et Euripides incendio publico nocentiores & potentiores uocat, sicut & descripsit pruden= tißime illum furorem & impetum indomitæ plebis Hesiodus in illa descriptione Typhoei.

Ista, inquam, si legissimus & ex historijs cum facris tum prophanis intelligeremus, tum citius in= testina Reipub. mala propulsare & opprimere pos= sumus, citius publicum illud Reipub. incendiū, mul= titudinem scilicet imperitam, extingueremus atq; domaremus, animos & pectora dictis mulcendo, ut ille inquit, aut etiam si res manus & uim postula= ret, ut mature occurrere possemus, ne latius diffe= minaretur aut ferperet morbi contagio, Id quod M. Cicero prudent ßimus & optimus Consul in oppri= menda Catilinaria factione egit, ne scilicet patriam conflagraret, neue optimatibus exitium machinari, & bonis eorum manus afferre posset, cum in ædes eorum irruisset, id quod in animum induxerat fe fa= turum, sicut & fingit doctißimus Poeta Homerus Theritem immodice garrulum & futilem & nihil non in exercitu Græcorum mouentem sceptro ab Vlyffe coherceri & reprimi.

In summa, sic Argi fierent magistratus, qui præuiderent mala impendentia Reipub. & iam glificantibus turbis tempestive mederi possent. Quod tum demum fieret, si exemplo Ciceronis impiam fa= ctionem Catilinariam diligenter obseruarent. Nam

A 5 in hoc

A5v

---

## PRAEFATIO.

in hoc demandata est eis cura Reipub. ut aduigilent,  
ut sint Episcopi Reipub. sicut Homerus uocat He=ctorem. Verum prudentia ad hanc rem opus est & uigilantia. Est enim sanctissime dictum ab Homero:  
β. ιλιαδ. ου ȝη ωαννυχιου ευδ ειν βαληφορου ανδρα. Hoc est:  
Tota nocte uirum regem dormire pudendum est,  
Cui populi, cuius commissa negocia curae.  
Maxima sunt. Et Achilles cum acerbißime &  
uehementiſime in Agamemnonem inueheret, arguit  
eum imprudentiae, qui neq; consilijs ualeat, neq; mala praeuidere posset. Extat uenuſtissimus uerſiculus:  
α.Ιλι. ουδ ετι οιδε νομσαι αμα προοçω ηι οπιαçω ,  
οππωçοι πçα νησι σοοι μαχεοιν το αχαιο. h.e.  
Huius enim tam latus habet præcordia torpor,  
Vt neq; respiciat quæ præteriere, nec inde  
Prospiciat uentura, quibus rationibus obſtet,  
Ne miſeri Phrygio marte abſumantur Achii.  
Ita omnia, quæ dixi modo, ueriora magis ef=fe, atq; Apollinis oraculum, uel M. D. XXV. anni  
maximus tumultus facile comprobabit, ex quo  
merito doceri deberemus, quam rectiſimè fentiant  
illi omnes, qui de furore multitudinis multa litteris  
commendarunt, docti ſcilicet longo rerum uisu. De=  
inde quantum referat multitudinem arte quadam  
& prudentia coherceri, idq; fatis mature à ſenato=  
ribus prudentibus. Vt enim incendium parum feli=citer extinctum maiore flamma reuiuifcit, Ita mul=titudo,

# A6<sup>r</sup>

---

## PRAEFATIO.

titudo, nist primus impetus cam destituat, aucti  
subinde uiribus pro libidine animo obsequitur, non  
recusa uel facilitate magistratum uel publica ui &  
legibus. Nam placide tractandam esse multitudi=   
nem censuerunt illi omnes referre, qui unquam de  
Repub. admistranda scripferūt. Prætabat enim,  
ut Menenij Agrippe suauissima & simplicissima  
oratione de membrorum & uentris diffensione ad  
publicam Reipub. tranquillitatem conseruandam  
reuocati ab instituto, allicerentur seditioni ciues Ro=   
mani, quam ut multorum ciuium corpora utrinq;  
tam à lenatu, quām à plebis partibus interirent.  
Atq; hæc inclyta est & admirabilis uirtus in prin=   
cipibus & illis omnibus, qui Rebuspub. præfunt,  
quam uolebat doceri suos liberos Ageſilaus, ἀρχεν  
ηας ἀρχεσθαι.

Demum fortunabit etiam DEVS opt. max.  
adminifrationem Reipublica, si acceſſerit religio=   
nis ſtudium, ne quis me hoc omiſſurum eſſe putet.  
Nam benedictione rectorum fortunatur Ciuitas, in=   
quit Salomon. Illorum autem iamdudum & dam=   
nata & exploſa fententia eſt, qui fatius eſſe centent,  
ut ſumma rerum ſit penes imperitos, quam penes e=   
ruditos. Illi enim, quam inepte, quamq; impie fen=   
tiant, uel Talpæ apparcat. Nam quis demum eſt,  
qui neget bonum & sapientem uirum, hoc eſt, in quo  
eruditio cum pietate coniuncta eſt, ſaluti eſſe Rei=   
publicæ, imò toti ſæpè prouinciæ, atq; ita etiam fe=   
licius Rempub. adminiftrari imperantibus bonis,  
quam

# A6<sup>v</sup>

---

## PRAEFATIO.

quam malis, cum fæpè tota urbs, ut unius pietate  
conferuatur, ita unius alicuius flagitiosi peccata luit.

Notus est optimus uerſiculus Hesiodi: ωλλακι  
ηας ξυμπασα ωλις κακδ ανδρα επαυρει.

Malos autem uoco contemptores litterarum, qui  
damnant cognitionem legum, iudicium de moribus,  
scientiam de æquo & bono, prudentiam in admini=  
ſtranda Repub. quæ non uenit, niſi ex longo rerum  
uſu, & multimoda uariorum exemplorum cogni=‐  
tione. Vt interim de facris omnibus taceam, noſſe  
rationem iuſtificationis, tenere capita religionis,  
poſſe de dogmatibus facris ſtatueret quod Apoſtolus  
uocat probationem Spirituum, quæ non minus ne=‐  
ceſſaria eſt pijs omnibus, quám eſt ipſa religio. Illos,  
inquam, malorum appellatione uenire uelim, iſta  
omnia contemnentes, cum dona Dei ſint. Quæ do=‐  
na quisquis contemnit, ipſum donorum illorum da=‐  
torem contemnat neceſſe eſt.

Neq; enim litteræ ſunt, ut illi putant, ſtultæ  
quædam & aniles nugæ, opiniones quædam frigi=‐  
dæ, quibus occupati ſunt ociosi quidam homines in  
umbra & ocio latitantes, ſicut Socratem exagitab  
Ariſtophanes paſſus pulicum metientem, & με=‐  
ριμνοφροντημ eſſe in nefcio quibus nugis indagan=‐  
dis, fed appellatione litterarum cognitionem rerum  
omnium complector, de moribus, eam Plato uocat  
τροπου. Deinde de rerum natura, quám λογου  
Plato uocat, de qua tamen hactenus nondum dixi,  
quàm ſit neceſſaria, ſiue ſis conſul, ſiue fenator, pri=‐  
uatus

# A7<sup>r</sup>

---

## PRAEFATIO.

uatits aliquis ciuis, siue agricola. Maior est omnino eius usus, quam ut uel credat uel existimet quilibet plebeius. Quid enim suauius, quid melius, quid de niq; utilius & homine dignius, quam nosse ortus fy derum, signa tempestatum & motuum cœlestium rationem, quibus uidemus illa inferiora & confer uari & perdi, nisi ipsi nostra corpora, aut, quod mi nus est, unguis nostros non norimus, nisi negare uelimus calore folis omnia uegetari, uuas maturas fieri, nisi etiam negare uelimus aduri fegetes Syrio lucente, canes in rabiem uerti. Deinde uel inuiti fteamur necesse est, uentos alias alijs esse nocentiores, alias alijs salubriores & mitiores. Postremo omnibus nautis notissimum est, aestus maris uel accedere uel reciprocare ad motum Lunæ & Solis. Quod cum ita sit, quis nisi demens damnabit cognitionem motuum cœlestium, quos adeò exquisitæ, adeò exacte descriperunt optimi uiri & uetus uerbi, ut ne ullo modo errare possumus in illorum cognitione, ut ipsi non errant eundo.

Ad hæc an hoc contemnendum putatis, peruidere, quo tempore arare conueniat, quando proscindendus sit ager, quando iterandus, item quod solum tertiationem requirat, quod non, quando ferendum sit, & quod semen quod solum recipiat, quando res fecunda sit materies, & tota architecturæ ratio optime comprehensa est in litteris, Item uniuersa ratio rerum militarium, quibus duobus quam non possit carere quæuis Respub. etiam indoctissimus quisq

# A7<sup>v</sup>

---

## PRAEFATIO.

quis; & litterarum insignis hostis fateatur necesse est. Accedit ad hoc, quod de uineis omnia sunt tam docte, tamq; optime præscripta, ut nos prorsus rationem calendarum uinearum ignorare uideamur collati cum doctorum hominum præceptis, de serendis uineis, quonodo fœcundentur, itercentur, quando & quibus itercoribus, quomodo uitijs uitiū, quæ innumera sunt, mederi possumus, quomodo putandæ. Item, quomodo sunt conseruandæ fruges.

Postremo quia Deus opt. max. ualeudinis nostræ, quam nobis non minus cueri præcepit, quám ut noluit nos ipsos nos interficere, habendam effe uoluit rationem, operæ pretium modis omnibus facturi sumus, si in perdiscenda medicina, quam artem etiam pro conseruanda sanitate nostra reuelauit nobis, operam posuerimus, cum sacræ quoq; litteræ nobis præcipiant, ut honoremus medicum, quem creauerit altissimus, a quo sit omnis medela. Et Homerus inquit, ικτρου ανδρα ωλλωμ ανταξιου αλλωμ ειναι, neq; etiam temere. Nam uel hæc prima est & summa Philosophiæ naturalis cognitio.

Habet enim cognitionem morborum, medicinis eorum, uirtutem herbarum, plantarum, gemmarum, constitutionemq; omnium corporum appositiissime docet, & nescio quæ innumera alia, quæ si non intelligimus, putatis etiam appellatione hominum nos uenire, putatis etiam nos Deum ex creaturis nosse? putatis etiam nos regni nostri, in quod nos coniecit Deus diuitias intelligere? Ita, inquam, omnia nomina=

## A8<sup>r</sup>

---

### PRAEFATIO.

menclatura litterarum complecti oportet, quæ nift intelligamus aut sciamus, necesse eft nos penitus ca= cutire & nihil a talpis differre. Vt interim de Mu= fica, de Geometria, de Arithmeticā nihil dicam, qui= bus non minus carere poſſumus, quam pane, quo in= dies ueſcimur.

Transgredior epistolæ limites, intra quos con= ſitare deberem, cum alioqui breuem me futurum re= ceperim antea, fed indignitas rei, quod ſcilicet tam multa hodie & iniufa, & praua fiunt moribus & dolor ille meus tam difertum me facit, cur tantum uerborum profundam in texendo litterarum enco= mio, quod tamen capita tantum uix perfringit re= rum, quid futurum eſſet, ſi ſingularum artium uſum ampliſſimum indicarem, charta citius, quam argu= mentum me defereret. Interim tam egregie contem= ptum fui ulcifuntur litteræ, imò Deus ipfe ulcifci= tur, ut illi omnes, qui litteras contemnunt & perſe= quuntur, inſignibus quibusdam uicijs foileant labo= rare, nec aliud eft, quo uirtutes fuas & egregia fa= cinora poſſint declarare, quam inſigniter litteras infectando, atq; utinā illi a uitijſ æque abſtinerent, ut a litteris. Interim fit tamen, quod Perſius inquit, ut uirtutem uideant, intabefcantq; relicta.

In ſumma autem non aliud mihi perſuadebit quiſquam aliis, quam ut Helena Troianis, ſic con= temptus & neglectus litterarum cauſa peftis atq; exitij eft Rebuſpub. Verum iſta non apparent, nec credit cerdo aut plebeius quisq; Nam ut bonitatem

& uſum

## A8<sup>v</sup>

---

### PRAEFATIO.

& usum litterarum non uident imperiti, qui de uirtute & honestate omni corrupte iudicant, alioqui si cernerentur oculis ista, mirabiles amores, ut ait Plauto, excitarent. Vt ergo bonitatem litterarum non uident, ita nec iacturam maximam sentiunt, quae non potest non uenire ex contemptu litterarum. Intus autem, intus est equus Troianus, quod non uident, nisi prudentes, pij & boni, quos tamen stulta multitudo dolum subesse monentes contemnit impulso Sathan, in suam tamen maximam perniciem. Quid enim aliud agit Sathan isto insigni optimarum litterarum contemtu, quem hoc tempore multorum animis indidit, quam ut puerorum ingenia negligantur, & ora tenera & balba non figurentur, mores non formentur, pectora religionis agnitione non imbuantur, ut discant timere Deum & fidere Deo. Deinde ut linguæ optimum diuini spiritus dominum, neglectæ & contemptæ iaceant, impiæque doctrinæ & hærefes omnes citius suboriantur & uires accipiant, cum non sint, qui contra latrare possint, qui Doctores impios possint εωιζουμειν, ut Apoftolico uerbo utar. Quam ista dicam non temere, uel nostra ista plus satis periculoſa tempora declarant, in quibus uarie de apertis uerbis Dei quidam argutantur, non sine magno & doctorum hominem & multitudinis applausu, ad quam etiam fuentitant.

Dixi de bonitate & usu litterarum, quantum per inopiam ingenij mei potui, & quantum putabam

**B1<sup>r</sup>****PRAEFATIO.**

bam fatis esse huic nostro instituto. Neq; enim hoc acturus eram, ut de litteris scriberem, sed ut uos ad discendas litteras adhortarer, id quod puto me iam fecisse, cum tantum uerborum in laude litterarum consumperim, ut iam porrò non esset opus prolixā illis omnibus adhortationem subiucere, nisi turpe es- set, ita me mei obliuisci, qui uos ad discendas litteras non adhortarer, quod tamen me facturum esse rece= perim, & de usu tantum litterarum dicerem. Per= gam igitur ad propositam mihi metam contendere, ne, dum amphoram instituerim, exeat urceus, ut Horatiano prouerbio utar. Puto autem uos iam captos & accensos litterarum bonitate, ut nihil pu=tetis esse in rebus humanis magis necessarium, Solem è mundo tollere, qui eruditionem, hoc est, iudicium de omnibus rebus uolunt è medio sublatam. Multis locis utimur igni, & aqua, & tantus est illorū usus, ut non poñimus illi carere, non minorem usum lit= terarum esse mihi prorsus persuadeo in constituen= dis, administrandis, & conseruandis Rebuspub. om= nibus, item in conseruandis sacrīs.

Quod cum ita sit, sicut non dubito uos meæ sententiæ haud grauatim subscripturos esse, æquum est, ut litteras diuinum donum amplectamini, exof= culemini, omnibusq; neruis eo contendatis, ut in illis discendis plurimum operæ ponatis, nihil dubitan= tes, quin gratum Deo sitis facturi officium. Præter= quam enim, quod hec uestra uocatio sit, ut litterae perdiscatis, maiorem etiam curam adhibendam in

B illis

# B1<sup>v</sup>

---

## PRAEFATIO.

illis perdiscendis ceneo, cum diuinum donum sit, id quod neminem negare posse datem. Nam uidemus his nostris temporibus, quibus pro ineffabili sua misericordia & clementia Deus opt. max. cognitionē uerbi reuelauit, simul etiam litterus nobis esse redditas, quae multos annos barbarie & sophisticis ne nijs obrutae iacuerant neglectae, ut & nomen illarum uix noueramus. Ita autem sunt nobis redditae, ut iam non immerito Musas ad nos Germanos ex Italia commigrasse ausim affirmare, cum in omni artium genere, in omnibus linguis ita iam excellant professores, ut Italos cum nostris nullo modo conferri posse putem.

Ne igitur ingrati sitis Deo, agnoscite diuinum donum, conemini ingenium excolere exuta barbare, facturi in hoc gratum Deo officium. Ita etiam profuturi estis postea patriæ, parentibus, amicis, quibus bonam uitæ nostræ partem debemus. Nam rectissime & optime dixit Plato, non solum nobis nos esse natos, sed ortus nostri partem patriam sibi uendicare, partem amicos, sicut & omnes gentes contra naturam esse censuerunt, ita uitam instituere, ne quid in cōmune conferamus, ne nos alijs utendos præbeamus, cum descrimus, quod tueri debebamus. Nam sic deseritur uitæ societas, quae nisi sit, prorsus homo ex homine tollitur. Neq; enim communis hominum societas tum tantum læditur, cum cauetis, ne quem uiuletis, ne alteri aliquid detrahatis, ne cui faciatis iniuriam, sed tum etiam, cum nihil conferat

**B2<sup>r</sup>****PRAEFATIO.**

conferatis in eam studij, nihil operæ. Patriæ quomo=do utiliores esse poßitis non uideo, quam si uirtuti=bus ornati eam quoq; ornetis, si uestra opera uel do=mi uel foris uti poßit in admnitranda Retub. Illi multum grati sunt patriæ, qui ciues cum sint, para=ti sunt etiam uitam pro salute patriæ in discriuen=uocare. At hac uirtute multi celebres facti sunt, multi etiam in numerum Deorum adsciti. Sed quan=tum putatis uos profuturos esse patriæ, cum non fo=lum corpore, sed & animo, hoc est, consilijs & pru=dentia uos dederitis utendos.

Eft quidem facinus pro patria occumbere, sed καθωρτομα est, patriam consilio, prudentia in ad=ministranda Repub. Deniq; etiam manibus, si opus sit, iuuare ac tueri. Videbat hoc, quam intereffet in=ter hæc duo, Agamemnon rex, cum optaret sibi de=cem Neftores συμφραδ μονæ, quod si accideret non dubitabat, qum breui effet Troia peritura. In hoc etiam omnium eruditorum literis celebratus est Vlyſſes, quod scientia rei militaris coniuncta fuerit cum prudentia & bonis consilijs, Ideo non Aiacem, non Achillem Poeta Homerus, sed Vlyſſem ωλι=πορθου, hoc est, euerforem urbium uocauit, uolens indicare plus illum consilio, quam ui, in euertendis urbibus, in gerendis bellis ualuisse, ita etiam pluri=ma effecisse.

Tales uos quoq; patriæ fueritis, si in discendis litteris perrexeritis, si expectationē illam de uestris ingenijs, quam in patris uestri, amicorumq; uestro=

## B2<sup>v</sup>

---

### PRAEFATIO.

rum animis concitaſtis, conabimini nō ſolum æqua= re, fed & ſuperare. Et niſt hoc faciatis, facitſ pa= rentibus ueſtris maximam iniuriam, qui uos omni= bus curiſ foluunt, labori nunquam parcunt rei fer= uientes, conterunt in quærendo uitam, ut ea parent uobiſ, quæ ad cultum & ad uictum ſuppeditent, ut tandem ad altiora euecti hunc fructum pro labore à uobiſ ferant, ut honori illis ſitis, ut patrijs in uobiſ potiri commodis poſbit pater ueſter, quem æquum eſt, ut non dedecoretis, fed magis nobilitetis, ut tan= ti uiri filij merito cum laude poſbitis & agnoſci & uocari.

Id ut fieri poſbit, uos facile præſtare potefſis, cum in ea ſchola hoc tempore ſitis, ubi optimæ diſci= plinæ omnes, ſacra item tam caſte & exquiſite do= centur & tractantur, & á talibus Doctoribus, ut niſt ipſi uobiſ deeffe uelitis, ita ad ueſtros parentes confirmati redire potefſis facile, ne & oleum & o= peram, ut prouerbio dici folet, perdidiffe uideamini, & ne cum in ſcholam tanquam ad mercaturam bo= narum litterarum quotidie eatis, inanes inde redea= tis. Nota eſt elegantiſima Vlyſis ad Græcos duces abitionem á Troia adornantes oratio, in qua ad= hortatur Principes, ut perſitant, ne traiſiant tam turpiter infectis rebus excercitum in Græciam, ma= xime cum tam diutino decennali bello erant mira= biliter & afflicti & confecti. Idem uobiſ dictum pu= tate, uidete, ne dedecoretis & urbis authoritatem & magiſtri ueſtri, cuius & mores & eruditionem,

ſi non

B3<sup>r</sup>

## PRAEFATIO.

ſi non ſuperare poſtitis, tamen æquare conemini, &  
 quod Vlyſſes dixit, idem ſemper tanquam Apollis=  
 nis oraculum in animum reuocate, αιχροντοδη=ροντε μενεν, κενεοντε νεεοθαι. Quem uerſum Eo=banus Heſsus ſic reddidit:

Verum turpe, domum poſt tot durata reuerti  
 Tempora, & exhaustos diuturna per arma labores  
 Haud quaquam rebus ſperato ſine peractis.  
 Demofthenes in illa nobili ωρᾳ ζεφανδ ora=tione, cum conferret fuam & Aefchinis priuatam uitam & mores, non putauit infimam laudem eſſe fuam, fe in ludum litterarium honeftum iuifſe. Et la=tinus noſter Demofthenes. M. Cicero non parui momenti eſſe arbitratus eſt, cum ad perdiſeendam Philosophiam filium valde paterne adhortaretur, eſſe eum Athenis, & habere Cratippum magiſtrū. Vos itaq;, cum mihi propter ſingularem familiari=tatem optimi ueſtri patris uere filiorum loco ſitis, non poſſum mihi temperare, quin uos eodem modo ad ſtudium litterarum excitem, ut memineretis non in infimam, fortunam collocandum eſſe, fed in ſum=ma, uos in honeſto ludo diſcere, quam laudem pu=tabat ille ſibi maximam. Item uobis iſtum præcepto=rem contigilſe, cuius uos nunquam pœnitere pote=rit. Videte ne iſum ueſtri pœnitentia, quod tum fiet, ſi non connitemini animo & labore contenderitis, cum omnia à ueſtris parentibus uobis ſint ſuppedi=tata, ne uobis defuifſe uideamini. Id eo libertius uos facere conuenit, quòd non tam uobis, aut parentibus

B 3      ueſtris

## B3<sup>v</sup>

---

### PRAEFATIO.

ueftris honori futurum eft, si erudit euadetis, quam multis ciuibus, & toti patriæ.

Videte igitur, in qualem militiam coniecti fi=tis, non uobis militatis, nō ueftrum commodum tan=tum spectandum eft, fed multorum, quibus poſtea obnoxij fietis, quibus iam operam ueftram promit=tis, ut ea poſtea quam liberrime utantur. Veftrum eft, ne ſpem illorum fallatis. Alioqui litteras, niſi hoc ageretis, ut multis prodeſſetis, infeliciſime diſcere=tis, & uobis tantum, non patriæ, non parentibus ueftris, non amicis uiueretis, quæ uita tantum abeſt, ut ab ullo probari poſſit, ut & contra naturam effe uideatur, quæ ita nos mutua quadam lege, hoc eſt, neceſſitudine quadam officiorum coniunxit, ut alter alterius ope ſemper utatur. Breuiter, ut mutuam operam præſtemus nobis inuicem.

Iam ſi eſſet mihi dicendum, quæ commoda re=dirent ueftræ patriæ & ueftris omnibus ex ſingulis artibus, uereor ut chartæ me deficerent, ex uno tan=tum, tanquam ex unguibus Leonem, ut prouerbio dici ſolet, reliqua licebit æſtimare. M. Cicero ædes Iure confulti uocat publicum ciuitatis oraculum. Ita uos ueftris ciuibus, ſi in artibus & in primis in diſcendis legibus operam nauaueritis, tanquam ua=tes aliquis, & tanquam portus, in quo diu iactatis & uarie uexatis à tempeſtatum ui liceat tandem conquiefcere, haud dubie futuri eftis.

Illud non cenfeo opus eſſe monitu, præſertim apud uos, ut caueatis praua fodalitia, ut modeſti fi=tis, ut

B4<sup>r</sup>

## PRAEFATIO.

tis, ut uoluptates omnes, blandissimas illas domi=  
 nas, tanquam uenenum refugiatis, cum sint, ut Pla=  
 to dixit, esca malorum, hoc est, illarum illecebris  
 nō aliter capi homines, quām hamo pisces. Non du=br/>
 bito enim uos legere multa indies in Homero, qui  
 fingit ad cantum Syrenarum obftruere aures suas  
 Vlyssem, ne exaudiat illarum suaves cantillationes,  
 ne permoneatur illarum blandicijs, & ut tempera=br/>
 rit libi à Circeis poculis, ne biberet illa, alioqui non  
 aliter fuisset turpis & excors, non aliter in beluam  
 aliquam, uel immanem aprum, uel urfam, aut im=br/>
 mundam suem fuisset immutatus, atq; ipius locij, qui  
 istis illecebris capiebantur. Noti sunt hac de re ele=br/>
 gantiissimi Horatiani uerisculi, lib. 1. Epist. 2. Epist.  
 Sirenum uoces & Circes pocula nosti,  
 Quae si cum locis stultus cupidusq; bibisset,  
 Sub domina meretrice fuisset turpis & excors.  
 Vixisset canis immundus, uel amica luto, fus.  
 Sed quid attinet diu ea in re immorari, uel Hesiodus  
 unus indicat, quam sint ab ocio, a uoluptatibus om=br/>
 nibus alienae Musae, in illis uerisculis, quos etiam  
 M. Cicero dignos censuit, quos Leptae suo propo=br/>
 neret ediscendos. Quare neq; ego uerebor uobis  
 ediscendos proponere,  
 της δ αρετης ιδ ρωτα θεοι προπαροιθεν εθηκαμ  
 αθανα τοι, μακρος δε ηι ορθι οιμος εω αν τημ,  
 και τρηχυς το τρωτου. επημ δ εις ακρου ικκαι,  
 ρκιδικ δ ηπειτα ωελει χαλεπηπερ εδσα.

B 4      Quos

## B4<sup>v</sup>

---

### PRAEFATIO.

Quos uerſiculos Eraſmus ita uertit, adiectit  
præcedentibus duobus uerſibus,  
Omnino uitium facile eft contingere cuius  
Eft uia ad id breuis, & uicina in fede moratur.  
Contra uirtutem fudoribus undiq; diui  
Præfepere & longus ad hanc perq; ardua callis  
Aſper & eft primum, ſed ubi alta cacumina uictor  
Contigeris, iam fit facilis licet ardua dudum.  
At præterquam quod difficultis eft Muſarum  
uia, Deus alioqui maxime odit ocium. Videte ergo,  
ut diligenter ſpartam, quam nacti eftis, ornetis, ut  
ſedulo & magna cura uocationi uestræ inferuiatis.  
Hoc enim requirit à nobis Deus. Sicut enim omnes  
creaturæ, & omnes beftiæ parent illi ſenſui, quem à  
Deo acceperunt, Ita æquum eft etiam nos homines  
parere, ut ultro & propter uoluntatem Dei labo=remus, idq; magno studio, atq; indefatigabili ſeduli=tate fieri debet. Idem ſi uos in diſcendo feceritis, aſpirabit Deus ueſtris ſtudijs, & fortunabit ea, iuxta  
Pſalmum, Beatus es, & bene tibi eft. Nam niſt Do=minus fortunet laborem & ſtudia noſtra, tum nihil  
fit, infeliciſime diſcuntur omnia.  
Caeterum, quomodo feliciter in diſcendis litte=ris uerſari poſtitis, & quid in uniuersum in tracta=tione litterarum ſpectandum fit, qua ratione diſcen=dum fit, nō opus eſſe puto uos admoneri. Neq; enim  
arbitror præceptorem ueſtrum uirum doctiſimum  
& patrem arctiſima familiaritate mihi cōiunctum  
hoc ne=

**B5<sup>r</sup>**

---

**PRAEFATIO.**

hoc negligere, qui ad Iurisscientiam adiunxit tantum studium Christianæ doctrinæ, ut eam & intellegat optime & summa preitate colat. Vt nihil dicam de Musica, in qua ita excellit, ut instar Orphei suo cantu suauissimo laxa & pecudes, hoc est, homines feros & disciplinæ expertes ad humaniorem uiuendi rationem reuocare posset. Quid dicam de pomarijs & hortis, in quibus instar Laertis patris Vlyfis moleftias, quas ex mole negotiorū forenium cœpit, lenire solet. Et ut nihil hac de re præciperet uobis pater, tamen sunt multa honestissima hac de re doctorum hominum præcepta. Extat eruditissima simul & elegantiissima Rodolphi Agricolæ epitola, in qua uir ille summus ita complexus est totam studiorū omnium rationem, ut qui aliquid aliud aut melius, aut magis necessarium addendum esse putet, is non simpliciter mihi ineptire uideatur, non dicam insanire, & nihil aliud agere illum iudicem, qui aliquid addere uelit, quam si uel ab Aristide. clarissimo pictore, qui etiam animum & ηθον in picturis suis expreßisse dicitur, uel à Durerio, ut nostris exemplis utar, pictæ & omnibus numeris absolutæ imagini inepta, & ad rem nihil facientia ωροπογα quædam addere uellet. Extat & oratio Arnoldi Burenij ad Reuerendi. Episcopum Monasteriensem, de scholis litterarijs cōstituendis, in quibus semper Ecclesiæ Dei seminaria fuerunt. Ea igitur duo scripta exigo à uobis, ut summa cura legatis, ut quam familiarißima uobis fiant. Nam ad formanda

B 5      studiæ

**B5<sup>v</sup>**

---

**PRAEFATIO.**

Studia, corrigendaq; uix aliud his duobus scriptis le= getis accommodatius.

Vnum tantum præceptum addere libet, ut uti= le, ita etiam omnibus diſcentibus uel in primis neceſ= farium. Videte omnibus modis, ne nondum perpo= liti primis rudimentis, statim ad sublimia peruolet= tis, quod à uobis par eſt, ut uel publica neceſitas impetrat. Video enim, quantum ruinam deniq; tra= cturnus sit secum hic error multorum noſtro hoc ſeculo, qui cum uix a limine litteras, falutauerunt, statim admouent animum ad ſtudium Iuris, aut Me= dicinæ, aut ſimiles profeſiones alias, quæ omnes in= feliciſime diſcuntur ab illis omnibus, qui antea fe & dicendo & ſcribendo non diligentiſime exer= cuerunt. Nam Deum immortalem quid conſecuturi funt non bens iacto fundamento, & ubi dicendo & ſcribendo ſe non exercuerunt. Nam ubi ſtyli exer= citium neglexerint, non poterunt etiam magno co= natu cogitata proloqui, & ut intelligent utcunq; artem ſuam, quam didicerunt, non poterunt tamen commode & ordine quodam de illa ipſa arte citra ambiguitatem diſferere, nec docere alios, ſeu artem ſuam cum dignitate profiteri.

Illos quidam eruditissimus uir faceta ſane & iucunda fabula perftrinxit. Fuiffe quendam morio= nem, qui in heri culinam ligna ſolitus fit ferre, eum confueuiffe ex infima ſemper truē ea reuellere, quæ moueri, fine magno negocio non poterant, Illum interrogatum cur id faceret? respondiſſe, ſe diffi= cillimam

## B6<sup>r</sup>

---

### PRAEFATIO.

cillimam laboris partem primum conficere, sum=ma illa facilius moueri, nec uidebat stultus homo, quantum referret singula ordine tollere. Huius mihi persimiles uidentur, qui fastiditis primis artibus & elementis puerilibus, ad summa statim se præcipiant. Nam ita augetur illis discendi labor, & incōmodius postea omnia tractantur, nec se à barbarie unquam poterunt afferere. Nec diſimiles illi etiam sunt, qui se tamen egregie sapere putant, & suo iudicio uel soli subſcribunt, qui à præceptoribus exi=guunt, ut pueri, qui sunt adhuc ab omm eruditione alieniſimi, qui nondū uel Grammaticas præceptio=nes sunt affecuti, & Græca & Hebræa & Latina, si Dijs placet, simul doceantur. Illi quam inepte, quamq; stulte iudicent, aliorum efto iudicium, & uel iſta exempla uos adhortentur, ut recte & fideliter discatis. Nam alioqui homine imperito nun=quam quicquam eft miuſtius.

Habetis, optimi pueri, adhortationem meam, si non elegantem aut bonam, tamen uerbosam, in qua si quid eft, quod bene & prudenter uos ad=monet, æquum eft, ut obsequamini, aut si omni=no omnia frigent, tamen ſtudium meum erga uos laudem merebitur, qui uobis tam optime uelim con=fultum ex animo. Et si nulla alia ratione ad diſ=cendas litteras permouemini, tamen hac alliceami=ni, ut cogitetis tantum præftare hominem erudi=tum homini rudi & barbaro, quantum fanus mente furore percito præftat, & uidens cæco. Notus eft fenarius

# B6<sup>v</sup>

---

## PRAEFATIO.

fenarius Græcus, ο γραμματων απειρ ου  
βλεπει βλεπων, & facite, ut amor uirtutis apud  
uos ualuisse uideatur, curateq; ut aliqua uestra fa=  
ma ad posteros quoq; dimanet. Ad hanc autem rem,  
si ullæ artes aliæ, litteræ uel imprimis tanquam in=  
strumentum quoddam ad consequendam gloriam ef=  
se poterunt, uobis quoq; dictum putate, quod ad Te=

lemaχum dicitur:

αλκιμος εδ ινα τις σε κι οψιγονων ευ ειπη.

Transſmitto uobis etiam Bucolica Virgilij ger=manice á me utcunq; reddita, qui labor etſi puerilis  
uideatur, tamen magnum fructum ueſtris ſtudijs al=laturus eft, & ſpero patri ueſtro hanc significatio=nem mei erga uos ſtudij gratam futuram. His ua=

lete in Chriſto cum honeſtißimis ueſtris parentibus.

Datæ ex præpositura Lyſena in ditione

VVeiffenfeldenſ fita. Anno falut. M. D. LXVII.

die V. Februarij, quo ante 123. annos Me=

diolanum a Francifco Sfortia poſt

longam obſidionem ca=

ptum eft.

Prima